



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

189. An, & qualiter præstatio juramenti facienda ab Examinatoribus juxta Trid. sit de forma concursûs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*ius questum*, sed neque presentatio talis annullatur per constit. Pii V. utpote quæ non loquitur de patronis presentantibus, sed de provisione facta ab Episcopis aliisque inferioribus, ac proinde Rota talem presentatum instituit servatis servandis per *Clem. Auditor. de rescript.* ut ait *Garc. n. 95.* ex sententia DD. in c. si confirmationes, de elect. in 6. Neque obstat, quod talis presentatus institutus ab Ordinario sine examine facto ab Examinatoribus synodaliibus se ingesserit in administrationem ante validam institutionem, & sic incidit in pœnas. c. avaritia, de elect. in 6. quia cum esset in possessione vigore institutionis Ordinarii, cessat pœna *cap.* tum ratione bonæ fidei, tum quia in materia pœnali qualibet causa colorata excusat. *Decius consil. 452. n. 12.* & *Gloss. in c. fin. de elect. in 6.*

2. Respondeo nunc ad secundum: quamvis si ex 6. Examinatoribus aliqui intra annum mortui aut aliàs absentes sint, totam facultatem examinandi unà cum Episcopo & Vicariò (Garcias habet: vel Vicariò) spectabit ad superstites eo anno durante, etiam si tantum unus superesset. *Corrad. loc. cit. n. 34.* *Garc. loc. cit. n. 69.* qui etiam ait id conforme Concilio. Elapsò tamen isto anno, cum, qui supersunt infra numerum senarium juxta dicta *quest. preced.* non sint amplius synodales Examinatores, fieri legitimè examen non poterit, nisi in nova synodo, seu Examinatores novi deputentur, sive ii omnes sint novi, sive partim sint ex iis, qui jam olim fuerunt Examinatores. Sequitur ex dictis *respons. preced.* Estque contra *Lott. cit. q. 31. n. 84.* ubi ait: si adhuc supersunt tres ex deputatis in priore synodo examinadoribus, etiam auno elapsò à priore synodo, cum his habendo examen videri satisfactum formæ præscriptæ à Concil. Tridentino.

*Questio 188. Quid in dictis casibus possit capitulum sede Episcopali vacante?*

1. Respondeo posse capitulum seu ejusdem Vicarium sede Episcopali vacante, dum post annum elapsum ab ultima synodo habitâ adhuc remanent 6. Examinatores in ultima synodo deputati, legitimè habere concursum cum illorum tribus. Neque etiam teneri post dictum annum elapsum habere synodum (uti ad id vi Tridentini tenetur Episcopus) si hanc habere non potest, nisi pro casu necessitatis, cui aliter provideri nequit, ut vult *Lott. cit. quest. 31. & 83.* siquidem non est necessitas talis habendi synodum in ordine ad deputandos Examinatores pro habendo concursu, si hunc, existentibus eorum adhuc sex, cum eorum tribus habere potest.

2. Respondeo secundo: si verò elapsò anno isto non amplius extent dictorum Examinatorum sex, legitimè habere concursum nequit, nisi prius in synodo ad hoc congregata, 6. constituerit Examinatores, quia in hoc casu, cum ex una parte non extent amplius Examinatores synodales (ii enim qui fortè adhuc supersunt, non sunt jam amplius hoc ipso Examinatores synodales juxta dicta paulo ante ad questionem) ex altera parte capitulum potestatem habeat celebrandi synodum (ut absolute docet *Garc. loc. cit. n. 64.* & docere videntur plerique, qui tenent synodum diœcesanam cogere, esse de Lege jurisdictionis Pavin. de off. & potestate Capituli sede vacante p. 1. q. 7. n. 3. *Henr. Bortæ. de synodo Episcopali p. 1. q. 4. n. 40.* apud *Lott. n. 77.* aut certè si non ad effectum decernendi statuen-

dique generaliter & universaliter super statu diœcesis, saltè pro casu necessitatis alicujus præcisè occurrentis, & in specie deputandorum hic & nunc necessariò Examinatorum synodaliũ, ut *Lott. loc. cit. à n. 80.*) imputabitur jam ipsi Capitulo, agiturque ab eo formaliter contra formam à Trid. præscriptam, adeoque nulliter, si non ilico curaverit convocari synodum, vel ex hac præcisè causa deputandi novos Examinatores, ut *Lott. n. 84.* (à quo tamen in hoc postremo dissentit *Garc.* juxta relata ex eo supra, quod censetur necesse deligi legitimòs Examinatores in synodo formali & vera, quam ait non esse illam ex dicta solum causa congregatam) & in ea Examinatores delegerit. Est quoque in tantum responsio nostra contra *Loterium*, in quantum is *loc. cit.* tenet, si ex antiquis Examinatoribus etiam post elapsum annum à celebrata ultimò synodo superfuissent adhuc tres, posse cum iis solis legitimè adhuc haberi examen concursus.

*Questio 189. An, & qualiter præstatio juramenti, quæ Examinatoribus injungitur vi verborum Tridentini cit. c. 18, iurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacunq; affectione postpositâ fideliter minus suum executuros, &c. cum tactu Evangeliorum, sit de forma, ita ut si omittatur, examen & concursus per eos habitus sit omnino nullus?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. *Card. de Luc. de paroh. d. 3. n. 4.* *Garc. p. 9. c. 2. n. 354.* *Lott. l. 2. q. 31. n. 92.* *Corrad. l. 3. c. 4. n. 26.* conformiter ad plures S. Congreg. declarationes.

2. Respondeo secundo: hoc juramentum præstari solere publicè in synodo, dum mox, ut electi & denunciati Examinatores presentes, singuli à Magistro cæremoniarum vocati & deducti in manibus Episcopi illud emittunt. *Corrad. loc. cit.* apud quem, uti & apud *Garc. loc. cit. n. 357.* vide hujus juramenti formulam. *Lott. num. 95.* dicto loco & tempore præstandum illud probat ex eo, quòd Concilium immediatè post requisitas in Examinatoribus qualitates illud adjiciat, adeoque sicut illa sunt excurienda in ipso deputacionis actu, ita eodem tempore præstandum juramentum, virtutè copulæ, sub qua est continuata oratiò. *Garc. verò n. 356.* censet id expedire quidem, non tamen esse necessarium. idem tenet *Corrad. loc. cit.* nimirum tempus, quo præstari debeat, non esse de forma, sufficereque ut præstetur, antequam fiat concursus, etiam extra synodum, & in manibus Notarii, per cujus attestacionem illud probari sufficit, cum consilium solum dicat: *Examinatores jurent.*

3. Respondeo tertio præstandum juramentum illud tactis Evangeliiis, ita ut hoc non factò, non servetur forma Concilii. *Garc. num. 358.*

4. Respondeo quarto sufficere juramentum illud semel & generaliter de fideliter exercendo munere Examinatoris esse præstitum, & opus non esse, ut præstetur in quolibet concursu. *Card. Luc. ad Trid. d. 32. n. 8.* *Lott. n. 94.* *Garc. n. 359.*

\* \* \*

*Questio*